Zu der

öffentlichen Prüfung

der Schüler unserer Gelehrtenschule,

welche

**Montag, den 10. April, Nachmittags 2 Uhr und
Dienstag, den 11., Morgens 9 Uhr**

angestellt werden wird,

ladet
alle Gönner und Freunde der Schule
gehorsamst und ergebenst ein

Dr. J. K. G. Schütt,
Rector der Schule.

Vorher vom Herrn Collaborator C. H. A. Wolff:

**De praepositione ex nomine apta apud Plautum
et Terentium.**

Husum, 1848.
Gedruckt in Meyler's Königl. privil. Buchdruckerei.

Latini sermonis usum et exercitationem ad eloquentiam et ad scribendi elegantiam maiores nostri magis quidem, quam nostra aetas, tenuisse videntur: sed successit nunc acrior quaedam petita e philosophia intelligentia atque consummatior ex omni parte artis ratio. Nam nunc fere vituperatur quicunque grammaticae complexum non via et ratione philosophia duce condit, sed vasta illa copia observationis atque usus congerenda defungi se opera existimat. Ea autem artificiosior ratio parta demum est, ex quo multorum studia atque ingenia singulas aliquas sibi partes sumpserunt diligentius declarandas. Non potest enim nisi singularum partium ratione et causis penitus perspectis et descriptis totius formae quasi figura et species effici. Multa sunt omnium, quae ubique sunt, gentium linguis communia, multa propria latini sermonis. Multa quoque, quae in ipsis linguis vel gliscens aetas sensim invexit, vel alicuius sive audacia sive auctoritas novavit; id quod semper factitatum est vel a poëtis, vel philosophis, vel his nostris temporibus ab iis, qui in republica gerenda versantur, civilibus hominibus. Neque id ignotum cuilibet,

qui latinarum literarum aetates ac tempora consideret. Multi denique iudicii multaeque intelligentiae est videre, quae quisque auctor habeat sua, de hisque cognoscere, utrum sint pulcra atque imitanda, an secus; hoc est, omnem omnium dictionem exigere ad Ciceronianam elegantiam ac sanitatem. Infinita plane res est, neque quae absolvatur vel omnium, qui in ea scientia elaborant, certamine et contentione: ut bene nobiscum agi videatur, quod etiam citra illam nobiliorem et antiquam, quam tenebant maiores, rhetoricam facultatem, non defutura sit nobis, qui nunc grammaticam passim profitemur, opellae materies et acuminis pretium. Scilicet docendi sunt pueri in eum finem, ut lectione optimi cuiusque auctoris mentem alant et colant, animum oblectent et memoriam compleant magnarum rerum copia, sed stilum iam recidimus, neque latinitatis ipsam expressam poscimus formam. Haeremus circa praecepta artis et regulam, vastitate discendi laborantes, imitatio autem desperanda. Cotis instar exsortes sumus secandi. In latiores iam invitamur et exspatiamur quasi campos coeli et terrae. Relinquenda avorum simplicitas et bonitas. Sed quo imprudens deferor? Quis ego sum, qui seculum accusare audeam? Neque hae meae partes, neque huius loci. Prologi persona agenda est, quum scholae nostrae gregem paramus in scenam producere. Properanda pagella, quae habeat argumenta ex orbe illo nostrarum scholasticarum literarum.

Dum mecum considero artis grammaticae incrementa et perfectionem, et quam multa multorum opera ac studiis indies

observata, praecepta, cauta sint, mentem tenuit una pars, quae est de praepositionis usu. Eam enim mihi videor animadvertisse haud ita multis ante annis diligentius ac luculentius explicari coeptam esse. Eam autem rationem dico, quae nostratibus trita iam nimis atque vulgata est, quum nullo verbi auxilio nomen nomine afficitur non per casum obliquum, qui nisi genitivus nullus esse potest ex latini quidem sermonis indole et consuetudine, sed per praepositionem. Nos enim vernacula, id est barbara lingua utentes: Arving til Riget, Papiret i Bogen, Taget paa Huset, Vidne til en Begivenhed, Aarsag i en Ting, Beviis paa en Gjerning, Nederlaget paa Spartanerne, Higen efter mere, quam omnem rationem apud Latinos unus recipit in se genitivus casus.

Sed me ante viginti fere annos impulerunt iudicia *) unius et alterius viri docti, obiter quidem de ea re mentionem facientis, ut operae pretium facturus esse mihi viderer, si in M. T. Ciceronis scriptis conquirerem et colligerem, quae nomina substantiva quas haberent ex se aptas praepositiones. Sed is libellus intra sodales scholae tum quidem premebatur. Neque enim ego tum poteram per aetatem et parvum in literis profectum satis videre, quam late in grammatica arte ea res pateret, nec defuerunt insequentibus annis,

---

*) Jen. Lit. Zeit. 1825. № 230. Rec. von Kraft's d. lat. Lex. — Riemer Lex. s. v. *διά*.

qui idem eruditius multo et maiore cum cura agerent. Loquor ut apud scientes: nam quotquot grammaticam tractamus, non fere negligimus docere de hoc aperto iam argumento. Satis observatum et apud omnes notum est, Caesarem multa habere eiusmodi, velut: iter ex Hispania; fugitivi ab saltu Pyrenaeo; odor teter ex multitudine cadaverum; quibus deinceps incrementum fecisse apud M. T. Ciceronem arctam illam et adstrictam in philosophia aut in iure definiendi brevitatem, qualia sunt: aegritudo ex miseria alicuius; frequens de aliquo fama cum laude; abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio; apud Livium iam sive ex exemplis, sive ex ipsius indole liberiorem factam esse eam consuetudinem; neminem tamen in ea re fuisse improbiorem Tacito. De hoc scriptore fuse et copiose disseruit Roth. ad vit. Agric. Exc. XXV.

Verum ut iam nemo dubitet, quin non abhorreat ab usu optimi cuiusque auctoris illa substantivorum per praepositionem copulatio: sic nondum nactus sum qui finibus eum usum certis circumscribere sciret, rem necessariam, ne incauti nos, qui Germanica sumus origine, vernaculae linguae consuetudine abrepti longius ab emendata latinitate discederemus. Unus exstitit, cuius erat totam rem absolvere, aetates distinguendo et modum praescribendo, intra quem iusta contineretur latinitas. Nam data opera tractavit hoc argumentum Hae-

nischius,*) director scholae Ratisborianae. Sed ea scriptio, quia scholae programma est, minus vulgata ac lectitata est, titulo tenus plerisque nota, nisi quod a Teipelio**) indicata est addita censura. Is ita pronuntiavit: luculenter quidem illo scripto demonstratum esse, adversus plurimorum dubitationem aut ignorationem, quam non esset alienus ab optimis et probatissimis auctoribus latinitatis ille praepositionis usus e nomine, non e verbo aptae, praemissis eiusmodi locis, ubi substantiva more verborum casum alterius nominis substantivi afficiant, ut: obtemperatio scriptis legibus, verbis velitatio, hanc rem curatio. Prudenter monuisse scriptorem, quam multo minus futura fuisset efficax ad sensum latina lingua sublata illa, quam diximus, praepositionis ratione. Neque tamen ipsum quidem circumscripsisse suis ac legitimis finibus hunc usum. Id autem fieri non posse, nisi plene ac perfecte enucleata casuum ratione, triplici illa quidem vel spatii, vel temporis, vel causae. Tum quoque illam prius absolvendam esse quaestionem, quot modis pro adiectivo vel adverbio possit praedicatum fieri per casum substantivi, sive solum, sive adiecta praepositione. Sed ipsum sibi scriptorem fuisse impedimento, quominus firmis praeceptis rem conficeret, quippe qui ex aureae, ut loquimur, aetatis scriptoribus maxime exempla

---

*) 1835—1838. Ueber die Verbindung der Nomina substantiva durch Präpositionen in der lateinischen Sprache.

**) Krit. Bibliothek v. Jahn u. Seebode, Achter Jahrg. 24 Bd. 2 Heft.

conquisisset. Nomen enim cum nomine per praepositionem ita fere coniungi, ut dicatur, ubi quid sit, id quod visu tactuque contineatur, ideoque eam rationem maxime propriam esse popularis sermonis, non philosophorum. Itaque in exemplis colligendis rectissime principium fieri a Comicis latinis, quo manifestior fieret translatio a sensibus*) ad mentem, quae eruditiorum hominum est ac philosophorum. Sed commotam et incitatam esse ab Haenischio quaestionem ex gravissimis artis grammaticae, et libellos eius dignissimos esse lectu omnibus eius artis studiosis. Dietrich**) quoque sic arbitratus erat, praepositionem ponere sine verbo magis communis et quotidiani sermonis, quam cultioris fuisse et elegantioris.

Illud de Comicis vehementer mihi placebat et recte iudicatum esse arbitrabar, nihil usu fuisse tritius in vulgari Romani popelli, sermone, quam passerem in tecto, aquam e fonte, columnas circum forum, eadem aut simili licentia, quae nostras iam, qui nunc vivimus, linguas pervagata est. Plauti et Terentii fabulas omnes, quae supersunt, diligentissime perlegi et collegi exempla illius dictionis, de qua haec est disputatio; ut saltem, quod mearum virium esset, pleniorem

*) Quae sensibus continentur, einsmodi sunt, ut: annulus ex auro iter per Alpes; quae mente: laetitia ex dolore, per ambages effigiem ingenii sui, concessio per purgationem.

**) Zeitschr. f. Alterth. Wissensch. 1837. 4 Heft.

redderem materiem et copiam, unde profecta notatio regulam deinde ac praecepta pareret acutiorum hominum studiis.

In praepositionum numero una est, quae nisi ex nomine nunquam fere nomini praemittatur, erga.*) Neque aliter haec a Comicis usurpatur, quam quomodo a Cicerone fieri videmus. Plaut. Capt. II, 1, 48. per mei ted erga bonitatem patris; nisi quod ibi praeter consuetudinem postponitur. Mil. Glor. III, 1, 42. nosces meam comitatem erga te amantem.

Dietrich, quem referunt inter principes fuisse demonstrandi huius usus, qui immerito pro germanismo habetur, quinque praecipue praepositiones esse arbitratur, quae non verbo pro adverbio, sed nomini pro adiectivo adiungantur: de, a, ex, cum et sine. Addere debebat, si quid ego video: in. Id quidem verissimum est et cuivis vel mediocriter attendenti observatu facile, nihil frequentius esse apud Ciceronem, quam cum et sine adiectivorum modo nomini substantivo convincta, ut: optabiles mortes cum gloria Cic. Tusc I, 49. ignavus et sine animo miles Epp. ad Att. I, 18. Hoc iam Comicis frequens et usitatum. Plaut. Amph. I, 1, 266. SOS. Signi dic quid est? MERC. Cum quadrigis Sol exoriens. Asin. V, 2, 28. si forte accubantem tuum virum conspexe-

*) Nunquam memini sic dictum, ut apud Plaut. Cist. I, 1, 101. utut erga me est meritus.

ris cum corona amplexum amicam. Aulul. Argum. 2. defossam multis cum opibus aulam invenit. Aulul. I, 1, 1. Circumspectatrix cum oculis emissiciis. Curc. I, 3, 35. tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas? II, 3, 33. aqualem cum aqua. Cas. prol. 34. latine Plautus cum latranti nomine. III, 2, 26. mecum postulatio. Cist. IV, 2, 43. cistellam cum crepundiis. Most. II, 2, 82. pax mihi est cum mortuis. Menaechm. V, 2, 15. credo cum viro litigium natum esse aliquod. V, 7, 53. ait se mihi allaturum cum argento marsupium. Mil. Glor. I, 1, 16. nempe illum dicis cum armis aureis. Pseud. I, 2, 25. te, cum securi, caudicali praeficio provinciae. Poen. IV, 2, 30. haud amice facis, qui cum onere offeras moram. V, 5, 19 quis hic homo est cum tunicis longis? Terent. Eun. II, 3, 54. parasitus cum ancilla. Plaut. Aulul. II, 2, 38. te civem sine mala omni malitia semper sum arbitratus. Trin. II, 4, 83. coena hac annona est sine sacris hereditas. Capt. IV, 1, 8. sine sacris hereditatem. Poen. V, 3, 27. clarus clamor sine modo. Capt. III, 1, 12. verba sine penu et pecunia.

Quae notata habeo de praepositione de, haec sunt. Plaut. Amph. II, 2, 169. iam illud non placet principium de osculo. Aulul. prol. 31. hic senex de proximo; itemque II, 1, 49.

II, 4, 11. Capt. prol. 30. audivit de summo loco summoque genere captum esse equitem Aleum. Poen. III, 1, 13. dives de summo loco. Rud. IV, 5, 7. et eam de genere summo adolescenti dabo. Most. III, 1, 40. spes est de argento. III, 2, 8. non bonus somnus est de prandio. Menaechm. prol. 37. postquam Syracusas de ea re nuntius redit. Merc. IV, 3, 34. de istac sum iudex captus. Pseud. II, 2, 53. nam istic symbolum est inter herum meum et tuum de muliere. Poen. III, 1, 46. ei paratae ut sint insidiae de auro et de servo meo. Terent. Andr. I, 3, 2. quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis. Heaut. III, 1, 15. nam mihi quidem quotidie augescit magis de filio aegritudo. V, 2, 2. ut pater tam in brevi spatio omnem de me eiecerit animum patris.

Nec minus praepositio ab suam habet vim instar adiectivi, ut non requirat verbum. Plaut. Capt. II, 2, 29. honore summo atque a summis viris. Bacch. II, 2, 19. quod ab illo attigisset nuntius. Mil. Glor. II, 2, 5. quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis. IV, 1, 16. egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius? Pseud. II, 2, 22. esne tu, an non es, ab illo milite Macedonio, servus eius, qui etc. Pers. IV, 3, 21. ob istam rem tibi multa bona instant a me. Rud. III, 2, 23. atque ab lippitudine

siccitas ut sit tibi. Trucul. IV, 4, 23. a milite omnis tum mihi spes animum efflaverit. Terent. Andr. I, 1, 129. iniuria ab illo. III, 1, 3. ab Andria ancilla. Et cum nomine adiectivo Plaut. Curcul. I, 1, 41. tam a me pudica est, quasi soror mea sit. Poen. prol. 65. olim abditivus a patre.

Porro ex saepe legitur e nomine substantivo aptum. Plaut. Asin. I, 1, 38. istam meretricem e proximo Philenium. Casin. Grex. Haec Casina huius reperietur filia esse a proxumo. Men. V, 2, 39. amat hanc meretricem ex proximo. Capt. II, 2, 97. qui magis sit servus ex sententia. III, 2, 10. Philocratem ex Alide. Bacch. IV, 4, 1. huic decet statuam statui ex auro. Merc. I, 2, 28. resinam ex melle Aegyptiam vorato. Terent. Eun. IV, 4, 17 ex iure hesterno panem atrum vorent. Plaut. Merc. II, 1, 33. atque ego conspicor navem ex Rhodo. Pseud. I, 2, 59. meque ut praedicet lenone ex Ballione regem Jasonem. Poen. III, 1, 51. isque se ut assimularet peregrinum esse aliunde ex alio oppido. Stich. II, 2, 19. donaque ex auro. Trucul. II, 6, 30. quid illi ex utero exitio est? Terent. Eun. I, 2, 85. ex Aethiopia ancillulam. Adiicienda etiam illa videntur, in quibus nomen non substantivum est, sed adiectivum. Plaut. Amph. I, 2, 31. lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. I, 1, 173. lassus sum e navi. I, 2, 43. ex amore hic quam

saevus est. Asin. I, 2, 17. reddam ego te ex fera fame mansuetem.

Eodem iure, et haud scio an etiam potiore praepositio in est. Plaut. Amph. III, 4, 4. qui minus liceat — quam servulo in comoediis? Asin. I, 2, 16. in pannis inopia. Aulul. II, 6, 3. obsoniumque in nuptias. Capt. V, 1, 11. reducem in libertatem feci. Casin. III, 5, 63. annulum in digito. Epid. V, 1, 34. anellum aureolum in digitum. Most. III, 1, 133. nisi ut in vicinum hunc proximum mendacium. Menaechm. V, 7, 41. si quid imperii est in te mihi. Mil. Glor. II, 6, 62. quia hanc attingere ausus mulierem hic in proximo. II, 6, 8. meamne hic in via hospitam? III, 1, 29. eam pudet me tibi in senecta obiicere solicitudinem. IV, 1, 16. senis huius uxor Periplectomeni in proximo. Pseud. IV, 7, 74. suarum in pugna virium victoria. Pers. III, 1, 15. meum, opinor, imperium in te, non in me tibi est. Stich. IV, 1, 72. eccum tibi lupum in sermone. Trin. III, 2, 83. quid tibi interpellatio aut in consilium huc accessio est? Terent. Adelph. IV, 2, 45. lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit. IV, 1, 21. lupus in fabula. Phorm. I, 2, 16. iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam.

Reliquas iam praepositiones eo, quo sunt earum literae initiales, ordine recensere placet.

Asin. IV, 1, 3. nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus. V, 2, 70. quid huc receptio ad te est meum virum? Bacch. II, 3, 62. reversionem ad terram faciunt vesperi. Mil. Glor. III, 1, 15. sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe. IV, 4, 16. egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius? Trucul. II, 2, 3. quid tibi ad hasce accessio est aedis prope?

Adversus sine verbi copula in Poenulo Plauti III, 4, 15. ponitur „rem adversus populi saepe leges. Sed alibi ita usurpatur, ut in illis Taciti Ann. 15, 63. adversus praesentem fortitudinem mollitus. Hist. 2, 12. Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinae corruptus, ita proeliorum avidus. cf Ann. I, 35. 47. Ita quidem dico, ut praepositio adversus cum casu suo quasi sit adiectivum sive appositio totius enuntiationis. Plaut. Merc. III, 4, 10. quod nimis tardus est, advorsum mei animi sententiam. Terent. Phorm. III, 2, 35. ego te complures advorsum ingenium meum menses tuli. Hecyr. IV, 1, 19. potius, quam adversum animi tui libidinem esset cum illo nupta.

Ante. Plaut. Asin. V, 2, 8. scito illum ante omnes minimi mortalem preti. Terent. Andr. II, 2, 25. solitudo ante ostium.

Apud. Plaut. Mil. Glor. II, 6, 26. inspectavisti meum apud me hospitem.

Inter. Plaut. Pseud. II, 2, 53. nam istic symbolum est inter herum meum et tuum. Mil. Glor. II, 1 61, qui amanteis una inter se facerem convenas.

Praeter. Plaut Amphitr. II, 1, 65. Sosiam servum tuum praeter me alterum. Asin. V, 2, 6. at seelesta ego praeter alios meum virum fui rata siccum. Epid. V, 1, 4. si undecim deos praeter sese secum adducat Jupiter.

Pro. Plaut. Asin. II, 2, 23. pro monstro exemplum est. Capt. V, 1, 19. pignus pro me. Epid. II, 2, 102. opus est homine, qui illo argentum deferat pro fidicina.

Aliae praeter has non sunt a me repertae apud Comicos praepositiones aptae ex nominibus nullo verbi adminiculo. Atqui manifestum est, quam modica haec ratio sit in sermone et antiquo et populari, si contuleris vel ad Livii licentiam vel Taciti improbitatem. Quam quidem rationem, quod visu tactuve continéatur, ita ut plerumque significetur, ubi quid sit, Teipelius arbitratur magis esse in consuetudine vulgi, quam philosophorum et elegantiorum hominum. Quod mihi quidem perlustratis iis scriptoribus, quibus aetates linguae latinae censentur, longe secus videtur esse. Nam lingua quaelibet, quo magis usu ac literis excolitur et perficitur, eo

magis quasi ad aliquod fastigium et consummationem tendit*) ad nomen substantivum, ita ut id, quod prius non nisi per verbum atque enuntiationem dicebatur, paullatim unius substantivi nominis vi et notione finiatur et concludatur. Si contuleris Lutheri sermonem cum usu summorum nostrae aetatis scriptorum, admodum rarum invenios illum duorum nominum per praepositionem nexum. Inde illud est, quod in Ciceronis de philosophia libris atque apud iureconsultos videmus tam frequentem definiendi formulam confectam per ea nomina verbalia, quae in terminationem — io vel — us quartae declinationis exeunt. Tacitus autem totus est in substantivo nomine, ideoque etiam pro adiectivo saepissime habet adverbium nomini appositum,**) qualia plurima collegit Roth. ad Agric. Exc. XXIV. Quin etiam is, ubi per verbum rem enuntiat, id saepe ita facit, ut toti verborum complexui adiiciatur nomen aliquod per appositionem, quam vocamus. Ann. I, 30. quosdam ipsi manipuli,

*) Bernhardi Anfangsgründe der Sprachwissenschaft, pag. 29. „Das Substantiv überhaupt ist das letzte Ziel der empirischen Sprache und der ganze Gang ist das Streben und die Erreichung dieses Strebens."

**) Neque hic adverbii usus admodum frequens est apud Comicos, si quidem discesseris a nominibus verbalibus in — io et — us. Maxima ex parte sunt abverbia temporis, quem ad modum apud Virgilium „ignari ante malorum," et apud Ovidium „superesse de tot modo millibus. Apud Terentium illud est pueris notum „heri semper lenitas. In Plauti comoediis haec inveni: Poen. III, 1, 15. populi saepe leges. IV, 2, 40. manifesto moechi, Persa III, 1, 51. nunc hominum mores.

documentum fidei, tradidere.*) Roth. ad Agric. Exc. VIII. Saepe enuntiatio tota, quae pro uno nomine est, aptam ex se habet praepositionem. Hist. 2, 86. is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala, senatorium ordinem reciperaverat. Hoc similiter fit atque supra demonstratum est in praepositione adversus.

Ceterum ut recte dicas an secus, id nihil interesse arbitror, utrum praepositionis vis tota corporis contineatur sensibus, an in mente res sit posita et translatione. Mens enim plena et perfecta libertate agere existimanda est, atque in hac quoque re valet illud Quintiliani: iam paene quidquid loquimur figura est. Quod autem ad hunc usque diem liquere sibi negant artis grammaticae scriptores de modo ac terminis, intra quos cohibendi sint, quicunque nostra aetate antiquam latinitatem exprimere scribendo student, ne nostrarum linguarum usu abrepti temere omnes omnibus nominibus praepositiones subjiciant neglecta verbi copula, in quo vim et animam, sicut in nomine materiem et tanquam corpus orationis inesse dicit Quintilianus: ne ego quidem id curo, neque a quoquam ad certam et immotam regulam demonstratum iri exspecto, nisi quod usus et exemplum potior apud me est, quam ars et ratio, si qua tamen esse potest. Notatum est, quid Caesar, quid Cicero et Livius, quid

*) Non abhorret ab hoc loquendi usu Livius, apud Ciceronem nihil eiusmodi.

denique Tacitus sibi indulserint, nec non multa reperiuntur in dictione jurisconsultorum antiquorum et probatorum, qui in Corpus recepti sunt.*) Imitatio presso vestigio sequatur antiquos auctores, neve hos terminos temere ac sine exemplo excedat. Nolim sic dici, ut Horatius: mitte civiles super urbe curas, vel sic ut Virgilius: sub pedibus Styx atra, neque illud Ovidii non nimis ex poëtica est licentia: pugnabant — mollia cum duris, sine pondere habentia pondus, ad quam licentiam prope sane accedit hoc Taciti Ann. XV, 68: sed ex conjuratis consilia cum Vestino non miscuerant. Sed illud clare apparet, inter praepositiones esse quasdam, quae cum casu suo ubique haud dubie possint pro adjectivo poni, ut: a, de, cum, sine, ex.**) Tum illud maximi est momenti, quod nomina in antiquis linguis pleraque non aeque atque in nostris substantiva vi plena praedita sunt, sed ut recte intelligantur fere verbi adminiculo iuvantur. Verbum enim tam Graecis quam Latinis praecipua pars orationis. Ne illa quidem ratio, quam scite satis graeco vocabulo prosopopoeiam appellari licet, castae sanaeque latinitati admodum usitata. Plurima, quae nos nomine includimus, si latine dicas, verbo eloqui necesse erit. Quod

*) Talia dico, qualia sunt: judicium in octuplum, vindiciae secundum libertatem, restitutio in integrum, heres ex asse.

**) Insolentius illud apud Terentium Ad. IV, 2, 45. lectulos in sole.

quidem manifestum erit, si lexica germanico-latina vel optima pervolveris. Nam eorum scriptores dum omnia, quotquot sunt germanicae linguae nomina totidem latinis nominibus referre conantur, stultissime facere videntur, et tironem, qui his auxiliis ad scribendum latine uti voluerit, in turpissimos inducunt errores. Alia enim aliarum linguarum ratio est, et longe diversa antiquis cum nostris, quae hodie vigent. In compositis quidem vocabulis saepissime peccatur, quando duae pluresve partes per praepositionem in unam notionem conflantur. Id quod, sicut in principio diximus, primum videtur mentes grammaticorum hominum impulisse, ut diligentius animum adverterent ad diversam novorum populorum et antiquorum rationem, qua illi per praepositionem et nomen, hi casibus declinationis et verborum mobilitate notiones animo conceptas inter sese copulare solent. Olim in censura lexici Kraftiani*) vir doctus vituperavit inter alia haec pro germanicis: Erbverbrüderung, Erbschaftsvergleich, Kellergewölbe, Erdenleben, Stegreifsvers reddita latine sic: *pactum ob mutuam successionem, transactio super hereditate, fornix in aedium fundamentis, vita hac in terra, versus ex tempore.* Quae non nego sic nude posita satis horridiuscula neque ex antiqua latinitate esse videri, et nimia est cura omnia talia in lexica velle recipere, nam plurima per verbum erunt circumloquenda. Repudiabit,

*) Jen. Lit. Zeit. 1825. Dec. № 230.

credo, illa: pactum ob mutuam successionem, versum ex tempore, quisquis vel mediocrem latinae elegantiae usum habet: sed non ego discedere arbitror a vera latinitate, si quis dicat vicinum suum conqueri de labefactatis fornicibus in aedium fundamentis, aut: vitam in terra Apollini pro poena fuisse impositam. Krebsius quoque in Antibarbaro ita existimavit, non quidem quidquid similiter latinis scriptoribus nostra aetate dicatur, barbarum esse, sed esse rem multi iudicii magnaeque cautionis ad imitandum. Dubitari debet, inquit, num recte dicatur Roma ad Tiberim, Milonis domus in Germalo, urbes ad mare, hortus ante urbem. Ciceronis quidem esse Domitium praetorem in Sicilia (Act. in Verr. II, 5, 3), sed non imitandum, ut dicas regem in Macedonia, vel in Ponto. De quibus omnibus equidem non ante statuerim, quam universum videro complexum orationis. Praetorem in Sicilia a Cicerone scriptum esse, qui nihil non considerate, non eadem sententia crediderim, quasi praetorem Siciliae dixisset. Vitiosum est rex in Macedonia pro rege Macedoniae, sed recte dixeris regem in Asia vel in Graecia.

Absolvi id, quod institueram quaerere, utrum ille praepositionis usus, ut inter bina ponatur nomina, aeque late regnet in antiquiore lingua latina eademque populari a cultuque philosophico remota, an potius deinceps paullatim attollente se copia et eruditionis elegantia auctus sit et increbuerit. Id quod sane facillimum erit intellectu, si

contuleris Taciti cum Plauti ac Terentii dictione. Non eo inficias hunc locum satis longe patere in grammatica arte, si penitus perscrutere, et esse omnino philosophiae capacem, quae cuiusvis rei docendae ac declarandae est magistra atque artifex. Nam et apud antiquos in eo genere Stoicorum secta multum elaboravit, et inter nos a Kantio profecti sunt, qui non cogitandi solum, sed etiam dicendi praecepta et leges ad ipsius doctrinam constituerent. Nobis autem scholasticis hominibus venia tribuenda erit, sicubi ex infinitate literarum circa unam alteramve particulam adhaeserimus et immoremur interdum ultra, quam necesse erat, quaestiunculis saepius atque ab aliis agitatis. Ipsae etiam anniversariae hae scriptiunculae modulo suo nobis imperant et est ubi coërceant. Verumtamen sicut in congressu hominum literatorum, ubi vaga per alia aliaque ex studiis argumenta disputatio modo hue modo illuc libero fluxu fertur et impellitur, dum alius aliud promit in medium, quod ad rem perspiciendam et illustrandam pertineat: sic non poenitebit his chartulis, quae longe lateque sparguntur, admonitum esse unum alterumve de re, quam forte non vacaverit ipsi quidem, in aliis fortasse argumentis occupato, investigare et cogitando explorare —